

1104 tam, maritimas Antiocheni principatus urbes armis aliquan-
 diu infestaverant. Sunt qui dicant, ad primum Alexianæ Ve-
 netæque classis conspectum, territum Boemundum de pace
 agitare cœpisse, sicque Dyrachium brevi postea obsidione le-
 vatum. Veneti annales, post Ptolemaidem receptam, ad
 Sidonem admotam fuisse classem, terrestresque Baldoini co-
 pias tradunt. Fuit inter Berythum Sidon & Tyrum, omnium
 Phœniciæ urbium & vetustate & opulentia olim clarissima:
 hæc quoque inter paucos dies recepta est. Quidam Sidoniam
 oppugnationem Berythanæ subjicientes, Berythum prius ex-
 pugnatum tradunt: ubi menses duos sedendo consumpti sint,
 oppidumque non sine ingenti cæde captum: quo accidit, ut
 non solum in ipsos puberes sit sævitum, sed in eos etiam,
 qui per ætatem arma ferre non poterant. Eo ob agri feracita-
 tem Christiana colonia deducta est. Et hæc Ordelaphi tem-
 poribus a Venetis in Syria gesta reperio. Auctores habeo, Si-
 done recepta, Venetos Faraniam oppidum maritimum circa
 Nili ostia recepisse, multasque ad id hostium naves maria in-
 festantes ea expeditione oppressas. Quibus magnifice gestis
 motus Baldoinus, sacram in Ptolemaide ædem, vicum, fo-
 rum, aream, Veneto dedit, ubi merum mixtumque cum
 Gallis haberet imperium: nec una urbe tantum, sed toto
 quoque Hierosolymitano regno plurima tribuit privilegia.
 Ipsum vero præsentis rerum successu elatum finium promoven-
 dorum studio, trans Jordanem fluvium, Christi nostri Regis
 lavacro insignem, Sobal castellum in edito ajunt fundasse lo-
 co. Nec ita multo post Venetis in Italiam reversis, quum
 aliquot prælia parum secunda adversus hostes commisisset, ac
 loca quædam circa Ptolemaidem præsidio firmasset, longe-
 que majora animo moliretur, inter ipsos belli apparatus ex-
 tinctum. In cujus locum Baldoinus Burgenfis, qui arcto il-
 lum consanguinitatis attingebat gradu, Hierosolymæ est Rex
 declaratus: fuitque, ut ratum id esset, Gelasius secundus Ro-
 manus Pontifex creationis illius auctor. Sub id autem tem-
 pus, quo classis ex Syria reducta est, in Alexii gratiam Or-
 delaphum in Normanos duxisse tradiderunt quidam: sed
 nec belli causam, neque quo classis sit ducta, memorant.

Nimi-

*Inde Sido-
nem.**Jus Veneto-
rum in his
partibus.**1118
Baldoinus
II. Rex III.
Hierosoly-
mitanus.*

1104